

DE  
ANTISTITE SACRO  
HAVD  
N E O Φ Υ Τ Ω

I Tim. III, 6.  
D I S S E R I T

SIMVLQVE  
VIRIS CLARISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS  
IOHANNI GOTLIEB FRANCKIO  
CAROL. WILH. LVDOV. IACOBI  
IOHANNI FRIDERICO LINCKIO

ET  
IOHANNI CHRISTIANO HEYONIO

SVM MOS  
IN PHILOSOPHIA HONORES  
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

LIPSIAE D. XXII. FEBR. A. C. N. clbIbCCXXXVIII.  
RITV SOLEMNI TRIBVTOS

N O M I N E S O C I E T A T I S

QVAE  
SVB PRAESIDIO  
VIRI SVMME VENERABILIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
IO. CHRISTIANI HEBENSTREITII

S. S. THEOL. DOCTORIS EIVSQVE PROFESSORIS PVBL. ORD.  
ET MAL. PRINC. COLLEGIO COLLEGIATI

IN VERITATES LIBRORVM SYMBOLICORVM DISPVTANDO

INQVIRIT  
AMICE GRATVLATVR

IOHANNES SALOMO FEHMEL EISFELDA FRANCVS  
S. S. THEOL. CVLT.

LIPSIAE EX OFFICINA STOPFFELIA

Coll. diss. A  
167, 2

2. 11. 167 (2)

AMTSTITEL SACRO

WATD

N E O O Y T O

D I S S E R T

SMILOVE

VIRIS CLARISSIMIS ATQUE DOCTISSIMIS

IOHANNI GOTTLIEB FRANKIO

CAROL. WILL. LEVD. TACORI

IOHANNI ERNESTO LINCKIO

IOHANNI CHRISTIANO HEYNO

SVMOS

IN PUBLICO OPUSCULO HONORE

AMTSTITEL TITELOPUSCVM O PINE

IN DIE D. XVII. FEBRUARII

ANNO DOMINI 1770

NOVINE SOLETATIS

AVT

VIRI STABULI AUSTRIACI IMPERIALIS

IO. CHRISTIANI HERBSTREHII

IN THEODORIS HANSENIS ACADEMIA

IN PRAESENTIA COMITIS

IN VERBA HONORABILIS VIRI

AMICE OR. TAVATRI

IOHANNES SALDINO RHEINH. PISTIDA FRANCH

RECTOR

IN TITEL





Q. F. F. E. F. D. E. I.

§. I.



Adspirantibus ad munus docendi in ecclesia salutarem *Epistolae Pauli ad Timotheum* doctrinam non modo incumbere, vt solidam veritatem diuinitus reuelatarum cognitionem sibi adquirant, sed vt etiam, qua in re prudentia, vti vocant, *commendantur simulque instituti ratio exponitur.* pastoralis potissimum versetur, rite sint edocti, puto inter eruditos in dubium vocare neminem. Nullum autem limpidiorem ac magis dulcem, ex quo hauriri haec prudentia possit, fontem patere alumnis doctrinae sanctae existimo, quam ipsam scripturam sacram, sigillatim datas Pauli ad Timotheum, Ephesinae ecclesiae Antistitem, litteras. Idcirco etiam Theologorum nostrorum nonnullis, scopo earum rite perspecto, nomine *epistolarum pastoralium* venire solent. Quamuis autem infitias ire nolo, multas in illis praeceptiones haberi, ad illam tantum tempestatem, ad illam ecclesiae conditionem, ad illud tempus spectantes, quo Timotheus Ephesinum ornauit Christianorum coetum; plurimas tamen, imo, si iusta fiat adplicatio, omnes in nostram vtilitatem nostrumque vsum conuertere poterimus. Operae igitur pretium est, vt accuratiori oculo considerentur, et si qua, vt in reliquis Pauli epistolis, occurrant *δυσνοητα*, enodentur ac illustrentur. Equidem paucis explicandam mihi, in praesentia, regulam quandam



quandam ex illis sumsi, quae quidem multis difficultatibus non est circumvallata, de qua tamen, et circa translationem germanicam et circa rem ipsam quaedam moneri poterunt.

## §. II.

Quid sit  
νεοφυτος.

Sanxit nimirum Paulus I Tim. III, 6. legem, quae τοις νεοφυτοις aditum ad munus docendi ac gubernandi ecclesiam intercludit: Δει τον επισκοπον ειναι μη νεοφυτον· ινα μη τυφωθεις, εις κριμα εμπειση τς διαβολς. Haec verba b. LV THERVS ita transfert: Nicht ein Neuling sc. soll ein Bischoff seyn, auf dasß er sich nicht aufbläse und dem Kästerer ins Urtheil falle. Videtur hoc loco vocabulum germanicum Neuling ambiguum esse. Potest enim et eiusmodi innuere hominem, qui nimio nouitatis studio flagrat; quumue huius farinae homines aliis sese sapientiores facile putent a) imaginaria autem et superficialia sapientia cum aucupio vanae gloriae potissimum sit coniuncta; videtur etiam admodum adpositum esse, quod Paulus dicit: ινα μη τυφωθεις b). Tantum tamen abest vt haec notio voci νεοφυτος subesse possit, vt potius ex συναφεια textus et historia sacra luce clarius adpareat, tyronem in religione christianâ, modoue sanctiori lauacro purgatum catechumenon hoc loco intelligi c). Scilicet varia impo-

- a) Quemadmodum qui in alterum extremum, nimium nempe vetustatis amorem praecipites fiunt, omnia noua spernunt, nil generosum putantes, nisi quod sit ex stirpe antiqua.
- b) Si modo verbum τυφωω h. l. a nativa sua significatione nimis deflectit, id quod deinceps videbimus.
- c) Id etiam mihi persuadeo LV THERVM per vocem Neuling nil aliud indicare voluisse. Et forsân illo tempore ambiguitate non laborabat ea, qua nostra aetate. Optandum certe foret vt plures eruditi, laborum patientes, voces ac phrasés germanicas in versione b. LV THERI occurrentes, quas aetas nostra vel obsoletas, vel ambiguas reddidit, colligerent, atque ex ipsis scriptis b. Viri nobis demonstrarent, hanc, non aliam LV THERVM illis subiecisse notionem. Ita enim LV THERVS ex Luthero illustratus non amplius forsân expositus erit criminationi; nimirum, ac si versione sua ansam praebuerit nimiae cogitandi nostris temporibus licentiae ac in religione tepori; vt nuper quidam Auctor anonymus profiteri ausus est in denen Ursachen des Verfalls der Religion und der Freydenckeren; refutatus tamen a Cel. KRAFTIO in der neuen theologischen Bibliothek 9ten Stücke p. 773. sqq.



imponere consueverunt primitiui christiani nomina iis, qui ad sacra eorum accedebant et praeuia, per statutum tempus, institutione, aqua baptismali initiari se patiebantur. Vocabant eosdem *illuminatos* ἱ. πεφωτισμενους; vocabant *Quasimodogenitos*; vocabant denique *Neοφυτους* i. e. eiusmodi in ciuitate christiana aduenas, qui ante exiguum temporis spatium erant regenerati et ratione ηλικιας πνευματικης pro infantibus aut pueris merito habebantur. Optime igitur IO. CHRYSOSTOMVS νεοφυτον per νεοκατηχητον et μαθητην exponit d). Gallica etiam et Britannica translatio satis adcurate hanc ipsam exprimit vocem e). Eiusmodi homines Paulus potissimum arcendos a munere docendi aeternae sacros exercendi putat. Inter alias enim virtutes ex mente Pauli in Episcopo exsplendescere debet donum διδακτικον com. 2. id quod explicat ad Tit. I. v. 9. Δει τον επισκοπον ειναι αντεχομενον τς κατα την διδαχην πιστ λογς, ινα δυνατος η και παρακαλει εν τη διδασκαλια τη υγιαινουση, και τς αντιλεγοντας ελεγχειν. Quomodo autem is αντεχειν, i. e. firmiter tenere veritatem valeret, qui ipse nondum confirmatus est in doctrinis pariter atque experientia christiana? qui fieri potest, vt is per salutarem doctrinam mentes perterritorum conscientia erigat, aut τοις τελιοις σερεαν τροφην porrigat, qui lac tantum modo huius ipsius doctrinae degustauit? Aduersariorum denique nugae et νοηματα rite examinare ac validis rationibus irritas reddere, hominis est in doctrinis sanctioribus versatissimi ac prudentissimi. Qui fieri ideo potuisset, vt mox principia christianae doctrinae edoctus, mox praecipua officia obseruans, inimicos rei christianae et dictis et factis confutaret? Sapienter igitur a Paulo cautum est lege, ne νεοφυτοι munere sacro ornarentur. Intererat enim illo tempore ciuitatis christianae, eiusmodi agnoscere Antistites, qui Gnosticis, nugis suis de γενεαλογικαις αιωνων απερσαντοις f) nec non Iudaicis, auctoritatem legis ceremonialis strenue defendentibus, obicem ponerent.

d) Homil. X. in 1 Tim. III. ubi verba ita fluunt: Ου τον νεωτερον ενταυθα λεγει, αλλα νεοκατηχητον. -- ει γαρ πριν γενεσθαι μαθητης διδασκαλος γενοιτο, ταχεως και εις απονοιαν ερχεται. Conf. etiam eiusdem de Sacerdotio Lib. II. c. 7. §. 163. p. m. 89. ubi discrimen statuit inter νεον et νεοφυτον.

e) Ita enim anglicana: Not a novice, & gallica: nouvellement conuerti.

f) Cap. I. v. 4. De hisce Gnosticis vid. AVGVSTINVS de Haeresibus

## §. III.

Quid sibi velit  
dicendi ratio:  
να μη τυφω-  
θεις.

Videtur etiam Paulus potissimum hoc loco respexisse periculum, quod episcopis, apud quos doctrina euangelii non satis firmas radices egerat, ab adversariis imminerebat; cum quibus tamen congregari saepius ipsis necesse erat. Nulla enim nos urget ratio, cur verbum τυφωω ex proprio in alienum locum et eum quidem nimis remotum, migrare existimemus. Notat illud proprie: *fumo infestare*, deinde: *mentem alicuius infuscare*. Quoniam vero homines, qui secum ob debilitatem mentis habitare et perspicere haud possunt, quam sit illis curta supellex, plerumque inflati magnifice de suis viribus, meritis ac commodis sentire solent, verbum τυφωω etiam metonymice signat: *superbum ac inflatum reddere* g). Sed retineamus secundam, quam adduximus, notionem, non exclusam tamen penitus ultimam: et ita intelligemus, Paulum veritatem esse, ne, si homo, in doctrinis sacris parum exercitatus, muneri sacro admoveatur, fumus ab adversariis ipsi vendatur ac facile in eorum rapiatur partes, qui ipsi erant τετυφωμενοι, i. e. occaecati per errores 1 Tim. VI, 4. Nondum enim habet αισθητηρια γεγυμνασμενα προς διακρισιν καλη τε και κακη Ebr. V, 14. Fidem ut huic meae expositioni faciam, prouoco ad com. 3. Cap. I. huius epistolae. Quodsi enim ibi Apostolus ita sollicitus est, ne ii, quibus iam in ecclesia docendi facultas erat, fabulis et nugis haereticorum inficerentur; quanto magis curae ipsi esse oportebat, ne νεοφυτοι, ob imperitiam ad defectionem magis apti, munus sacrum capefferent? Movere et temporum futurorum conditio Cap. IV, com. 1. 2. Paulum poterat, ut hanc de νεοφυτοις legem ferret. Facilis enim est animorum, fide nondum firma donatorum, per υποκρισιν ψευδολογων immutatio ac depravatio, sive ut Cel. MOSHEMIVS satis eleganter *nil, inquit, imperitorum mentes fortius capit, quam rationis*

& ad eum DANAEVS Cap. VI. fol. 17. sqq. cf. IRENAEVS contra Haeres. p. m. 47. et passim. Peruersum autem eorum systema tradit vniuersum Cel. BRVCKERVS in Histor. Philosoph. nec non Summe Vener. MOSHEMIVS in Instit. Histor. Antiq. p. 116. sqq.

g) Legi certe meretur AELIANI de Socrate & Alcibiade Historia Lib. III. Var. Histor. c. 28. quae egregie haec, quae diximus, explicat, et Alcibiadem sistit τετυφωμενον επι των πλετων και μεγαφρονεντα επι τοις αγροις, qui tamen minimam atticae terrae particulam constituebant.



tionis ignara pietas b). Id quod multis ex historia Christiana exemplis illustrari posset.

§. IV.

Alterum periculum, cui expositi a Paulo censentur Antistites νεο-<sup>Quid sit: εμπιπτειν εις κριμα τα διαβολα.</sup> Φυτοι, in eo consistit, quod facile possint εμπιπτειν εις κριμα τα διαβολα. Quæritur autem quid sibi velit dicendi ratio: εμπιπτειν εις κριμα τα διαβολα. κριμα τινος? Mihi quidem idem valere videtur, ac phrasis illa ISO-CRATIS: εμπιπτειν εις αιτιαν τινος, incurvere crimen alicuius, eiusdem vitii, cuius alter, se reum facere. Κριμα autem in locum αιτιας interdum ponere Paulus consuevit, id quod patet vel ex locis I Tim. V, 12. & Rom. V, 16. vbi statim per παραπλωμα & αμαρτιαν explicatur. Periculum ergo Apostolus subesse existimat, ne eiusmodi, quem modo depinximus, Antistes, veritatem agnitam plane relinquens idem crimen committat quod Diabolus Jo. VIII, 44. Quodsi vero maus vocem διαβολα ad Hymenaeum et Alexandrum referre, quos Paulus castigationibus Satanae tradiderat Cap. I. v. 19. 20. litem tibi hac de re haud mouebo. Et illi enim, more maligni Spiritus, fidem eiurauerant, doctrinam salutarem erroribus contaminabant, atque etiam ministros Christi variis proscindebant ignominiiis i). Numerus tamen vnitatis, quo utitur Paulus nostro in oraculo, priorem expositionem exigere videtur; nisi forsan locum hic habeat enallage numeri.

§. V.

His ita explicatis, verba Apostoli hoc forsan modo transferri in <sup>Immutata pauli</sup> linguam nostram poterunt: (Ein Bischoff soll) nicht ein Anfänger im <sup>huius</sup> Christenthum (seyn), damit er nicht irre gemacht werden und in <sup>oraculi versio</sup> das Laster des Verläumders fallen möge. Nemini tamen obtru- <sup>suppedatur.</sup> dens hanc meam versionem, grato potius animo agnoscam, si meliora edocear, translatioque b. LV THERI suum retineat valorem, quam alias magni aestimandam et tamquam specimen diuinæ, in beato Reformatore, virtutis accipiendam esse, existimo.

§. VI.

b) vid. Institt. Histor. christ. antiquior. p. 201.

i) Per locum mox citatum. Conf. etiam b. THOM. ITTIGIUS de Haeresiarchis aevi Apostolici Sect. l. c. VIII. p. 84.



## §. VI.

*Adplicatio.*

Quum omnis Scriptura afflatu diuino exarata faciat ad nostram vel *διδασκαλιαν* vel *παιδειαν* etc.; explorari etiam huius legis Paulinae, nostris temporibus vsus et consecretaria exinde deduci practica possent. Verum tamen vero, felicius illud VOBIS succedet, qui in arte cogitandi ac ratiocinandi versatissimi estis, VIRI CLARISSIMI atque DOCTISSIMI. Nec est, quod de solertia VESTRA ullus nobis dubitandi locus relinquatur, quum hodie tantis VOS ornet Philosophia praemiis, tantis honoribus. Neque etiam minorem VOBIS fructum pollicetur solida, qua gaudetis, rerum diuinarum cognitio. Serutati adhuc indefesso ardore estis veritates Librorum nostrorum Symbolicorum, et comparando easdem cum ipsis effatis diuinis et mouendo contra eas dubitationes erudite ac curiose excogitatas, effecistis, vt firmissimas in animo VESTRO radices agerent. Tantum igitur abest, vt, ad munus sacrum aliquando admoti, *τοις νεοφυτοις* annumerari possitis, vt potius doctrinam ac perspicientiam VESTRAM mirari ac vberrimos fructus expectare debeat coetus VOBIS demandatus. Tantum abest, vt ab aduersariis vllum VOBIS periculum immineat, vt potius VESTRAM, in saniori philosophia atque etiam in disputandi arte solertiam VESTRAM que in doctrinis christianis cognitionem sint reformidaturi, admonitiones VESTRAS admissuri inque suum vsum conuersuri. Quid ergo nos, qui tantos VOBIS hodie tribui honores, tantas breui forsan tempore dignitates et munera intelligimus? Ex animo, vti par est, gaudemus, amice gratulamur, atque vt summum Numen omni VOS semper adfundat gratiae affluentia, in votis habemus quam maxime.



Coll. Diss. A 167, misc 2